Diabolus dum in christo carnem humanitatis impetit. quod patebat quasi hamo divinita
tis eius captus est quod latebat. Est enim in christo hamus divinitas. Esca autem caro lignea [illegible]
genealogia. quam ex euangelio recitatur. Tenens ergo hanc lineam deus pater est. de quo dicit [illegible]
apostolus. caput christi deus. Et lucas lineam generationis christi ab imis ad summa contexens in
choat a ioseph. et consumat in deum. dum dicit. qui fuit heli. et perficiens lineam.
generis dicit qui fuit dei. Ideo dominus in infernum descendit. ut his qui ab eo non pe
naliter detinebantur viam aperiret revertendi ad celos. Secundum testimonium ysaie
prophete dicentis. posuisti profundum maris viam. ut transirent liberati. Viam
quippe christus. in profundum maris ~~viam~~ posuit. qui in infernum descendens. sanctis iter ad [illegible]
celos revertendi monstravit. Sancti ex tempore resurrectionis christi. statim ut de cor [illegible]
pore exeunt: mox ad celestem habitationem ascendunt. quod antiquitus patribus non
dabatur. Nam ante adventum salvatoris quamquam sine pena supplicii. tamen non in celo. sed
in inferno sanctorum anime tenebantur. pro quibus absolvendis dominus in infernum descendit.
Christus in celum ascendens. discessit quidem carne. sed presens est maiestate. secundum illud
quod ait. Ecce ego vobiscum sum: usque ad consummationem seculi. Sedet christus ad dexteram [illegible]
patris. non ut dexteram corpoream habeat pater. sed dextera patris beatitudo est. sicut sinistra mi
seria.

De spiritu sancto. [illegible]

Spiritus sanctus creator est. sicut pater et verbum. testante propheta. Spiritus domini fecit me. et inspi [illegible]
raculum omnipotentis vivificavit me. Spiritus sanctus patris et filii est. et inde unum [illegible]
et patris et filii. quia nichil habet pater. quod non habet filius. Non enim res una et duorum consubstanti [illegible]
alis. potuit semel ab eis procedere et simul inesse. nisi unum fuerint a quibus procedit. Spiritum sanctum [illegible]
pignus accepit ecclesia: ut per eum uno corpore unum fierent credentes. per quem pater
et filius unum essencialiter sunt. Ipso salvatore ad patrem dicente. ut sint unum sicut et nos
unum sumus. Christus non tantum a patre. sed etiam a spiritu sancto se missum testatur. dicente propheta.
Accedite ad me. et audite. non a principio in abscondito locutus sum. et ex tempore antequam
fierent ibi eram. et nunc dominus misit me et spiritus eius. Spiritus sanctus pro eo quod consolator sit: para
clitus nuncupatur. Nam latine paraclisis consolatio dicitur. et recia dei dona sacra
mentorum distribuit. consolationem anime prebet. Credo eidem quod magnam leticiam
sentit. qui aliquid revelante spiritu didicit. Donum sancti spiritus in membris ecclesie singil
latim dividitur. et in singulis singula dona tribuuntur. Christus autem omnem pleni
tudinem gratiarum habuit de quo ita legitur. plenus gratia et virtute. In christo ergo omnis

Cod AA 90 (14)

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. AA 90.14, 1r – Isidorus, Sententiae
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-440m/5301/50355)